PLANTAE QUAEDAM

AEGYPTI AC NUBIAE

ENUMERATAE ATQUE ILLUSTRATAE

A

ROBERTO DE VISIANI

CUM TABULIS

Prezzo Lire 3.50.

Digitized by Google

2044 106 343 809

FL
6
V82



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PLANTAE QUAEDAM

AEGYPTI AC NUBIAE

ENUMERATAE ATQUE ILLUSTRATAE

A

ROBERTO DE VISIANI

MEDICINAE DOCTORE, IMP. AC REGIAE SOCIETATIS AGRONOMICAE VINDOBONENSIS, BOTANICAE RATISBONENSIS, MEDICO-BOTANICAE LONDINENSIS, ATHENAEI VENETI, ACADEMIAE SCIENTIARUM PATAVINAE, TAURINENSIS, ET GEORGOPHILORUM FLORENTINAE SODALI, ATQUE IN PATAVINA STUDIORUM UNIVERSITATE VICARIO BOTANICES PROFESSORE.

PATAVII

TYPIS MINERVAE EDIT.

MDCCCXXXVI

Digitized by Google

Sept. 1908
18625

E Diario, cui titulus: *Comentarii di Medicina del Dott. G. F. Spongia,* Fasc. mens. Augusti anni MDCCCXXXVI. excerptae.

Digitized by Google

Suscipienti mihi horti Patavini curam ac moderamen cum plurima consideranda occurrerent, praecipue attentione dignae visae fuerunt exsiccatae quaedam aegyptiae plantae, quas cl. eques Jos. Acerbi S. A. M. a Consiliis, atque olim Kahirae in Ægypto Austriacus consul, scholae huic botanicae superiori anno dono munifice dedit.

His accessere aliae nonnullae ab eximio peregrinatore et philosopho Joh. Bapt. Brocchio bassanensi in Nubia detectae, quae, licet exiguam constituant partem collectionis illius ditissimae, quam Brocchius ipse municipio suo liberaliter legavit, cum fere omnes pretiosissimae sint, quid sperandum de reliquis? Vehementer igitur optandum esset, ut idem municipium tanti boni merito haeres, suae et celeberrimi Viri famae consuleret, et magnum illud plantarum thesaurum, tanto labore ex difficillimis regionibus conquisitum, illustrandum curaret.

Ego interea dum hoc desiderio teneor, quid super hasce plantas animadversione dignum invenerim publici juris facere non abs re fore duxi, atque hoc, ut cl. Acerbi donum in bonum commune cederet, et ut occasionem nanciscerer publicas praestantissimo huic Viro reddendi gratias, ac postremo ut me studium omne ac laborem in id contulisse, ut, si non ingenio, saltem diligentia, muneri botanices tradendae mihi perhumaniter demandato facerem satis, ostenderem atque testarer.

Obs. Plantae omnes in sequenti enumeratione loci natalis indicatione carentes Ægypto superiori pertinent, et a cl. Acerbi communicatae: caeterae in Nubia lectae a cl. Brocchi.

Digitized by Google

ILLUSTRATIONES PLANTARUM.

1. Salicornia fruticosa L. Delil. fl. aegypt. ill. p. 69.

2. ——— radicans Sm. Engl. bot. tab. 1691.

3. ——— cruciata Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 2. Icon. rer. nat. tab. 1. Del. loc. cit.

Obs. Icon Forskahlii in explicatione tabularum per errorem *S. perfoliatae* nomine designatur.

4. Boerhaavia repens L. sp. pl. p. 5. Del. loc. cit. *Fl. d'Egypt.* p. 119. *H. N. bot.* tab. 3.

Obs. Plantam hanc legit circa *Chartum* in *Sennaar* cl. Brocchi, et sequentia adnotavit = Monandria Monogynia. Calyx nullus. Corolla tubulosa ore 5-dentato (alba vel violacea, extus pilosa). Stamen unicum breve. Anthera didyma, ut capsula *Mercurialis annuae*. Stylus unicus brevis. Stigma capitatum. Germen inferum 5-costatum pilis et tuberculis exasperatum. Semen unicum. Planta prostrata diffusa. Folia supra viridia, subtus albida aut subviolacea. Radix sapore acri. An *Boerhaavia repens?* quae monandra. Arabice *rabah*. Post plurias ita vulgata in ruderatis, ut apud nos *Polygonum aviculare*. Brocchi ms. Ex hac descriptione liquet plantam hanc omnino eamdem esse cum *B. diffusa* Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 3., uti ex comparatione descriptionum cuique elucescit. Tam a Brocchio quam a Forskahlio stamen notatur unicum contra auctores omnes a Linnaeo ad Delilium. Nihilo tamen secius planta cl. Delilii certe eadem ac nostra, icone testante. Differt a *B. diffusa* L., cum qua a Forskahlio confusa, caule glabro nec pubescente, foliis subcordatis nec ovatis. Notas has vero minus constantes esse observationibus patet, cum

Digitized by Google

ramuli etiam in nostra pubescant, et folia inferiora quandoque sint subcordata, uti ex ipsa Delilii icone colligitur. Hinc non immerito Lamarckius clarissimus in *ill. des genr.* p. 10. *Boerhaaviam diffusam, hirsutam, repentem, et caribaeam* unicam speciem constituere arbitratus est. *B. diandra* Forsk. loc. cit. videtur *B. diffusa* L.

5. Salix babylonica L. Del. fl. aeg. ill. p. 109.

6. Schoenus mucronatus L. Del. l. c. p. 71.

7. Fimbristylis dichotoma β. villosa Roem. et Sch. Syst. veg. 2. p. 95. Scirpus niloticus Gmel. syst. veg. 1. p. 126. S. bisumbellatus Forsk. descr. pl. p. 15.

Obs. Fructu ecostato tenuissime striato, nec profunde sulcato costis transverse rugosis et compresso trigono, videtur a F. annua R. S. l. c., seu Scirpo annuo All. fl. ped. n.° 2371 tab. 88 f. 5., cum quo a plurimis commutatur, distincta. Umbella decomposita, involucro diphyllo involucellisque di-triphyllis, foliolis linearibus pilosiusculis. Spiculae ovato-oblongae squamis imbricatis ovato-subulatis carinatis omnino membranaceis hyalinis, carina viridi crassiuscula excepta, omnibus fertilibus, inferius carina puberulis, demum caducis. Setae hypogynae nullae. Ovarium obovatum nitidum agonum striatum, laeve. Stylus basi incrassatus glaber, sursum ciliato-hirsutus, stigmatibus binis lineari-subulatis recurvis pilosellis apice glabris. Culmi triquetri caespitosi glabri erecti vel adscendentes. Folia linearia subtus margineque villosa, supra striata, basi longe vaginantia, vaginis margine membranaceis. Herba in sicco glaucescens. In herbidis *Zeidab* in prov. *Sennaar* legit cl. Brocchi.

8. Cyperus Monti L.

9. Pennisetum typhoideum Rich. in Pers. syn. pl. p. 72. Del. *fl. d'Eg.* p. 149. *H. N. bot.* tab. 8.

10. Saccharum cylindricum Lam. Del. fl. aeg. ill. p. 72.

Digitized by Google

11. Saccharum aegyptiacum W. En. Del. l. c.

12. Polypogon maritimum W. Nov. act. nat. cur. berol. 3. p. 443.

Obs. Differt ab hoc *P. monspeliense* Desf. fl. atl. 1. p. 67 saepius cum illo confusum, glumis vix pubescentibus nec hirsutis, margine glabris nec ciliatis, infra apicem integrum seu dorso aristatis, nec arista ex apicis bifidi fissura prodeunte seu terminali. Glumella non semper mutica, ut ait cel. Sprengel in syst. veg. 1. p. 242, sed in spiculis inferioribus plerumque mutica, in superioribus gradatim longius aristata.

13. Aristida pungens Desf. fl. atl. 1. p. 109. tab. 35. Del. *l. c. p.* 75.

14. Festuca fusca L. sp. pl. 1. p. 109. Del. *fl. d'Eg. p.* 161. *H. N. bot.* tab. 11. f. 1. Diplachne fusca Pal. Beauv. Agrost. p. 80.

Obs. Affinis *F. polystachyae* Michaux, quae *Diplachne fascicularis* Beauv., diversa tamen glumellis breviter nec elongato-aristatis, ramis erecto-patulis nec strictis, foliis multo brevioribus. Perperam vero ab auctoribus spiculae *Festucae fuscae* dicuntur muticae, cum aristula gaudeant e fissura apicis bifidi enascente, et 16-24 florae cum in planta aegyptia nunquam plus quam 9-florae inveniantur.

15. Poa pilosa β. aegyptiaca. *

Obs. Differt a specie spiculis 3-5 floris, nec 7-9 floris, ligula fissa laciniis apice pilosis, nec sola pilorum serie conflata, vaginis glabris, nec utrinque pilorum fasciculo praeditis. Rami paniculae infimi verticillati ibique pilosi, caeteri glabri.

16. Poa cynosuroides Retz obs. IV. p. 20. Del. *fl. d'Eg.* p. 159. *H. N. bot.* tab. 10. f. 3.

17. Asterocephalus arenarius.* *Ic. pl.* tab. I. f. 1.

A. pubescens, caulibus adscendentibus, foliis radicalibus spathulatis serratis, caulinis pinnatipartitis

Digitized by Google

laciniis oblongo-linearibus obtusis integris, corollis radiantibus involucro longioribus, fructibus oblongo-cylindricis, capitulis haemisphaericis. ⊙

Syn. Scabiosa arenaria Forsk. fl. aegypt. p. LXI? Del. fl. aeg. ill. p. 77.

Descr. Herba bipollicaris undique cinereo-pubescens. Radix gracilis perpendicularis simplex vix fibrillosa elongata annua. Caules ex una radice plures, vel unicus, basi decumbentes, dein adscendentes, teretes. Folia radicalia spathulata vel obovata in petiolum attenuata, basi integra, superne serrata: caulina sessilia pinnatipartita, infimis subsessilibus lobo terminali majore, omnia laciniis oblongo-linearibus obtusis crassiusculis canaliculatis brevibus. Pedunculi axillares et terminales capitulo triplo et amplius longiores. Flores nutantes. Involucrum sub-novemphyllum, foliolis inaequalibus oblongo-linearibus obtusis, basi praesertim albo-villosis. Corollae quinquefidae albae involucro longiores, marginales radiantes, laciniis oblongis apice rotundatis, extus hirsutae. Capitula fructifera haemisphaerica. Receptaculum paleaceum. Involucellum tubo ovali cylindrico octagono, angulis pubescentibus, octo-foveolatum, fauce constrictum, limbo ampliatum, foveolis arcubus totidem pilosis superne circumdatis; margine superiori, sive corona, membranacea brevissima planiuscula repanda. Carcerula ovalis involucello inclusa, calyce coronata in stipitem attenuato, stellamque quinque-setam gerente, setis scabris, sub lente spinulosis, antenniformibus.

Obs. Hanc habeo, etsi dubie, pro *Scabiosa arenaria* Forskahlii, solis verbis = *flore albo, calyce longiore* = ab ipso, nec ab ullo postea descripta, et de qua omnino silent etiam nuperrimi. An huic referendus *A. pectinatus* Lag. gen. et sp. p. 8? Phrasis diagnostica tum Sprengelii tum Decandollii equi-

Digitized by Google

dem quadrat, sed nimium brevis, ut ex ea tutum de stirpis identitate judicium desumi queat.

18. Salvadora persica L. Del. fl. aeg. ill. p. 77.

19. Plantago Lagopus *L. var.* eriostachya. P. eriostachya Tenor. *fl. nap.* 3. p. 149.

Obs. Nil nisi varietas speciei scapo evidentius sulcato, foliisque glabriusculis distincta: nam denticuli foliorum plus minus rari, nervi terni vel quini, lana basis longior breviorve, color et latitudo bracteārum notas exhibent in eadem planta variabiles. Species ubique perennis.

20. Cissus digitata Lam. *ill. des genr.* n.° 1627. Saelanthus digitatus Forsk. descr. pl. fl. aeg. arab. p. 35. Icon. rer. nat. tab. 3.

21. Morus nigra L. Del. fl. aeg. ill. p. 107.

22. Heliotropium undulatum Vahl symb. bot. 1. p. 13. H. crispum Desf. fl. atl. 1. p. 151. tab. 41. Del. fl. aeg. ill. p. 77.

23. Heliotropium Brocchianum.* *Ic. pl.* tab. II. f. 1.

H. setoso-canescens, caule fruticoso decumbente glabro, ramis adscendentibus, foliis ovato-ellipticis integerrimis obtusis mucronulatis petiolatis, spicis solitariis ebracteatis, corollis setosis, tubo calycem superante.

Obs. De hac specie cl. Brocchi sequentia adnotavit. Corolla infundibuliformis limbo quinquefido: faux pervia, at pilis 5 stellatim dispositis instructa (alba, fauce luteola). Filamenta quinque brevia intra tubum corollae. Stylus brevis crassus, stigma simplex, pilis 4 coronatum. Capsula quadriloba, lobis monospermis. Planta prostrata. Hab. circa *Chartum* in *Sennaar. BR.* ms. His addas, plantam omnem, parte caulis lignosa excepta, setulis densis adpressis albescere: folia 1-2 lineas longa, lineam lata, petiolos longitudine folii latitudinem vix aequantes: spicas graciles esse breviterque pedunculatas, folio, cui saepe oppo-

Digitized by Google

sitae, triplo et amplius longiores: calycis lacinias obtusas, et microbasii nuculas ad apicem usque cohaerentes, setis albidis adpressis obsitas esse.

24. Lithospermum callosum Vahl Symb. bot. 1. p. 14. Del. *fl. d'Eg.* p. 189. *H. N. bot.* tab. 16. f. 2.

L. caule suffruticoso erecto setis patentibus muricato, foliis lanceolatis verrucoso-setosis, corollis clavato-infundibularibus calyce triplo longioribus, stylo exserto, bracteis calycibusque lineari-lanceolatis setoso-ciliatis.

Descr. Caulis basi fruticosus fuscus, superne sordide albus, tuberculis setigeris undique exasperatus, setis patentibus, effuse ramosus. Folia semi-amplexicaulia oblongo-lanceolata obtusiuscula integra, supra adpresse tenuiterque setosa, subtus et margine verrucosa, setisque crassioribus longioribus patentibus hispida. Bracteae et calycis laciniae lineari-lanceolatae setoso-ciliatae, calycibus intus glabriusculis corolla pubescente tubo elongato gracili praedita triplo brevioribus. Stylus exsertus. Nuculae laeves lucidae castaneae ovatae acutae triquetrae, lateribus interioribus excavatis, exteriore convexo, basi subdentatae.

25. Lithospermum niveum Poir. *Enc. meth. suppl.* II. p. 836. L. callosum β. Roem. et Sch. Syst. veg. IV. p. 49.

L. adpresse setosum, caule fruticoso decumbente divaricate ramoso, foliis oblongis obtusis, corollae infundibularis tubo calycem subaequante, stylo incluso, bracteis calycibusque oblongis obtusis.

Obs. Male a clar. Roemer et Schultes praecedenti conjunctum, a quo differt caulis ramificatione divaricata, pube omnium partium adpressa tenuiore breviore, foliis oblongis obtusis nec lanceolatis, corollis calycem vix superantibus nec triplo longioribus, tubo brevissimo nec elongato, bracteis calycibusque oblongis adpresse setosis, nec lineari-lanceolatis setoso-

Digitized by Google

ciliatis, calycibus intus fasciculis pilorum albidorum circa fructum barbatis nec glabriusculis, stylo incluso nec longe exserto, nuculis conico-attenuatis nec ovatis, vix trigonis, lateribus interioribus planis nec excavatis, edentulis, cinereis. Corollae in sicco albae.

26. Lithospermum obtusum.* *Ic. pl.* tab. II. f. 2.

L. hispidum, caulibus adscendentibus subramosis herbaceis, foliis oblongo-spathulatis obtusis sessilibus, spicis conjugatis, bracteis calycibusque oblongo-linearibus obtusis corollae tubo dimidio brevioribus, limbo obliquo, nuculis rugosis.

Descr. Radix annua simplex, extus atro-rubra, et ut videtur tinctoria. Ex hac caulis unicus vel plures adscendentes simplices vel subramosi, apice in spicas floriferas bipartiti, hispidi. Folia oblongo-spathulata sessilia obtusa, supra canaliculata, subtus medio costata, hispida. Bracteae conformes sed angustiores, supremis flores subaequantibus. Spicae unilaterales setis luteolis obsitae. Flores breviter pedicellati, calyce 5-partito laciniis inaequalibus oblongo-linearibus obtusis, tubo corollae dimidio brevioribus. Corolla infundibuliformis glabra coerulea calyce duplo major, limbo obliquo, lobis rotundatis. Nuculae cinereae rugosae opacae, fere dolabriformes.

Obs. Affine *L. tinctorio*, tamen distinctum pube rigida crassa, nec molli elongata, bracteis oblongis obtusis, nec subcordatis acuminatis, laciniis calycinis oblongo-linearibus obtusis, nec lineari-acuminatis, corollae tubo calyce multo longiore, nec subaequali.

27. Echium longifolium Del. *fl. d'Eg.* p. 192. *H. N. bot.* tab. 16. f. 3.

Obs. Ex Aegypto superiore cl. Acerbi, e *Zeidab* in regno *Sennaar* cl. Brocchi.

28. Echium sericeum Vahl Symb. bot. 2. p. 35. E. prostratum Del. *fl. d'Eg.* p. 193. *H. N. bot.* tab. 17. f. 1. non Tenor.

Digitized by Google

29. Echium setosum Del. l. c. p. 195. *H. N. bot.* tab. 17. f. 2. quod idem videtur ac E. maritimum W. Spec. pl. 1. p. 788.

30. Echium Rauwolfii (per err. Rawolfii) Del. l. c. p. 212. *H. N. bot.* tab. 19. f. 3. E. margaritaceum Lehm. Asper. 2. p. 446.

31. Anagallis arvensis L. Del. fl. aeg. ill. p. 78.

Obs. Planta aegyptia inter *A. phaeniceam* Lam. et *coeruleam* Schreb. omnino media, caule suberecto et florum colore huic, calycibus integerrimis corolla glandulosa brevioribus illi similis, utrasque jungens. Corollae in hac quidquam majores.

32. Convolvulus armatus Del. *fl. d'Eg.* p. 201. *H. N. bot.* tab. 18. f. 2.

Obs. Huc certe spectat *C. spinosus* Forsk. fl. arab. fel. p. CVI. n.° 221., nec Linn. suppl. p. 137. Sed minime certum est *C. armatum* Del. idem esse cum *C. Hystrice* Vahl Symb. bot. 1. p. 16., quocum jungitur a cl. Sprengelio in syst. veg. 1. pag. 614. Comparatis enim plantae utriusque descriptionibus patet, *C. Hystricis* flores solitarios esse, rarius geminos, bracteis binis suffultos, calycis foliola etiam exteriora oblonga, corollas parvas hirsutas, stigmata capillaria. In *C. armato* e contra flores bini vel terni, bracteis tribus suffulti, foliola calycina duo exteriora rhombeo-subrotunda latissima, nec sane oblonga, corollae inter congeneres mediae, extus sericeae, stigmata oblique clavata crassa compressa. Icon cl. Delilii ex specimine haud evoluto desumpta, quoad habitum, et partes vegetationis optima, quoad vero analysin partium floralium peccat tum brevitate staminum, quae multo longiora sunt et incisuras corollae superant, tum praecipue forma styli et stigmatum, quorum prior capillaris apice bifidus et multo longior, altera divaricata compressa incrassato-clavata, nec fere recta et simplicia. Corollae lobi obtusi nec acuti.

Digitized by Google

33. Convolvulus Forskahlii Del. *fl. d'Eg.* p. 203. *H. N. bot.* tab. 18. f. 3. non Spr. syst. C. cneorum Forsk. fl. arab. fel. p. CVI. n.° 120. fl. aeg. p. LXIII. n.° 124. non L.

Obs. Cl. Decaisne in sua *Florula sinaica* (Vide *Ann. des sc. nat.* T. II. Nov. 1834, p. 257) contendit speciem hanc differre a *C. lanato* Vahl Symb. bot. 1. p. 16., cui adducitur ab ipso cl. Delilio, foliis in hoc pilis sericeis longissimis obsitis, viridioribus, membranaceis, nec simpliciter tomentosis ut in *C. Forskahlii,* bracteis linearibus, capsulis seminibusque oblongis in *C. lanato,* dum hae partes figuram fere ovalem praeseferunt in altero. Tamen negari nequit descriptionem Vahlii speciei nostrae omnino competere, et folia ibidem dici tomentosa nec pilosa, et bracteas ovatas acutas nec lineares.

34. Convolvulus cairicus Vahl Symb. bot. 1. p. 15. Del. fl. aeg. ill. p. 78. Ipomaea palmata Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 43.

Obs. Foliorum laciniae integerrimae nec serrulatae, ut de suo cl. Vahl.

35. Convolvulus althaeoides L. Del. fl. aeg. ill. p. 78.

36. ———— microphyllus Sieb. pl. exsicc. Spr. syst. veg. 1. p. 611.

C. caule basi suffruticoso, ramis virgatis erectiusculis foliisque integris lingulatis obtusis mucronatis sessilibus villosis, pedunculis uni-bifloris folio subaequalibus, calycis foliolis lanceolato-acuminatis bracteolisque linearibus villosis.

Obs. Variat pedunculis unifloris et bifloris, nunc folio aequalibus, nunc longioribus, nunc quoque brevioribus. Corolla carnea angulis roseis, calyce duplo major, ad angulum quemque seu plicam unidentata, villo in sicco rufescente extus ornata. Stylus apice inaequaliter bifidus, stigmatibus erectis obtusis simplicibus.

Digitized by Google

37. Convolvulus lasiospermus. * *Ic. pl.* tab. I. f. 2. C. caule herbaceo flexuoso prostrato petiolisque pilis reflexis hispidulis, foliis cordato-ovatis integris glabris, lobis baseos divaricatis rotundatis subinaequalibus, pedunculis bifloris superne unifloris, petiolo multo brevioribus, foliolis calycinis ovalibus, bracteis linearibus, seminibus tomentosis.

Obs. Legit cl. Brocchi et sequentia adnotavit. Calyx 5-partitus inferus laciniis ovato-acutis. Corolla monopetala plicata ore 5-fido. Stamina 5: antherae hastatae erectae. Stylus unicus brevis: stigma capitatum bilobum: germen ovato-acutum calyce inclusum. Capsula globosa quadrivalvis, calyce persistente amplexa, septo intermedio divisa. Semina quatuor triquetra. Planta flexuosa prostrata. Variat caule brevi erecto. Ex *Chartum* in *Sennaar*. Arabice *Hantut*. Semina satis magna a famelicis eduntur. Brocchi ms. Caules angulati flexuosi simplices. Folia illis *Aristolochiae luteae Desf.* similia, longe petiolata glabra, inferiora obtusa vel emarginata, superiora acuta, petiolis inferiorum internodia aequantibus. Pedunculus communis brevissimus, in inferioribus bifidus biflorus, superne simplex uniflorus, post anthesim incrassatus recurvus, basi bracteolis binis brevissimis linearibus praeditus. Flores parvi bilineares. Calycis ebracteati foliola ovalia acutiuscula setis sparsis obsita, interdum ciliata. Corolla calyce paullo longior, in sicco albida. Semina angulata cinereo-tomentosa.

38. Hyosciamus muticus L. mant. p. 45. H. Datôra Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 45. Icon. rer. nat. tab. V. f. A. Del. fl. aeg. ill. p. 79.

Obs. Datôra est nomen arabicum plantae hujusce etiam *Zekarân* dictae. Hinc immerito a cl. Sprengel in syst. veg. 1. p. 616. dicitur *H. Datura*. Icon Prosperi Alpini de pl. exot. p. 192. nomine *H. albi aegyptii* ob folia floralia serrata a nostro diversa.

Digitized by Google

39. Datura Stramonium L. Del. l. c.

40. Cordia Myxa L. Del. *fl. d'Eg.* p. 204. *H. N. bot.* tab. 19. f. 1. 2.

41. Solanum coagulans Forsk. fl. aeg-arab. p. 47. Del. *l. c. p.* 236. *H. N. bot.* tab. 23. f. 1.

42. Solanum nigrum L. Del. fl. aeg. ill. p. 79.

43. Zizyphus Spina Christi β. inermis DC. Prodr. syst. veg. 2. p. 20.

44. Polycarpaea prostrata Decaisne flor. sinaic. in *Ann. des sc. nat.* vol. 3. Mai 1835, p. 263. Alsine prostrata Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 207. Del. *fl. d'Eg.* p. 246. *H. N. bot.* tab. 24. f. 4. Arenaria? prostrata Ser. in DC. Prodr. syst. veg. 1. p. 400. Spr. syst. veg. 2. p. 400.

Obs. Differt ab *Arenaria* et *Alsine* stylo unico, staminibus quinque. Omnino generi *Polycarpaeae* pertinet, quae una cum *Stipulicida* et *Ortegia* Caryophylleis restituenda. Stamina in hisce generibus prorsus hypogyna eorumdem species inter thalamifloras potius, quam inter calycifloras locandas esse aperte testantur. Hinc minus recte Paronychieis junguntur a cl. De Candolleo in Prodr. syst. veg. 3. p. 373. Nec obstat stipularum praesentia, etiam in *Arenariis* sectionis *Spergulariae* Persoon obvia, nec stamina pauciora, quod etiam in quibusdam *Stellariis*, *Cerastiis* et *Arenariis* variare scimus, nec tandem habitus sufficit ubi characteres repugnant. Quid vero putandum sit de insertione staminum perigyna vel hypogyna, cui primariae divisiones methodi naturalis nimis fidenter innituntur, nuperrimis observationibus patuit in Caryophylleas quasdam institutis, quarum familia etsi hypogyna, *Larbream* tamen et *Adenarium*, quae perigyna sunt, comprehendit. *Polycarpaeis* pertinet quoque *Alsine succulenta* Del. *fl. d'Eg.* p. 245. *H. N. bot.* tab. 24. f. 3. ob flores pentandros monogynos stigmatibus tribus praeditos. Ab

Digitized by Google

hac tamen excludendum est *Illecebrum alsinefolium* L. mant. p. 51 a cl. Delilio huc adductum.

45. Calotropis procera R. Brown. Asclepias Ait. Del. fl. aeg. ill. p. 80.

46. Daemia cordata R. Br. Pergularia tomentosa L. mant. p. 53. Del. l. c.

47. Secamone Alpini R. Sch. Syst. vol. 6. p. 125. Periploca secamone L. mant. p. 216. Del. l. c. Secamone Alp. de pl. aeg. p. 134.

48. Coriandrum sativum L. Del. l. c.

49. Orlaya maritima Koch. Caucalis Gou.

50. Anethum graveolens L. Del. fl. aeg. ill. p. 83.

51. Chenopodium rubrum L. Del. l. c. p. 80.

52. ——— fruticosum Schrad. Salsola L. Suaeda monoica Forsk. S. fruticosa Del. loc. cit. pag. 81.

53. Tamarix orientalis Forsk. descr. pl. fl. aegarab. p. 206 (1775). Del. ill. fl. aeg. p. 83. T. articulata Vahl. symb. bot. 2. pag. 48 (1791). Thuja aphylla L. sp. pl. p. 1422.

54. Tamarix tetrandra Pall. ind. taur.

Obs. Praeter numerum quaternarium sepalorum, petalorum et staminum, differt a *T. africana,* cui quodammodo similis, bracteis basi attenuatis sursum latioribus apice acutis, pedicellis vix longioribus, dum in illa bracteae basi latiores sursum attenuatae apice truncatae pedicellis brevissimis duplo longiores. Spicae insuper crassiores, densiores brevioresque in *T. africana.*

55. Statice monopetala L. Del. fl. aeg. ill. p. 83.

56. ——— Thouinii Viv. Cat. H. Di-Negro p. 34 (1802). Fl. lyb. spec. p. 18. tab. XI. f. 1. non Schult. St. aegyptiaca Pers. syn. 1. p. 334 (1805).

57. Statice pruinosa L. Del. fl. aeg. ill. p. 83. Viv. fl. lyb. spec. p. 17. tab. XXVII. f. 1. Statice aphylla Forsk. non Poir.

Digitized by Google

Obs. Adsunt etiam in collectione Acerbiana plura specimina *Staticis* cujusdam scapo ramosissimo dichotomo tereti tuberculato pubescente cinereo, divaricate paniculato, floribus spicatis secundis, squamis ovato-acutis, bractea scariosa obovata obtusissima latissima, rubra, margine albida, calycis tubum obvolvente et aequante, calycibus obtusis corolla brevioribus. Cum omnia hujusce plantae specimina radice careant, statui nequit utrum species aphylla sit, vel quaenam illi sint folia, ac idcirco utrum speciebus notis pertineat, vel nova sit. Florum characteres et bracteae hanc ultimam sententiam probabiliorem efficiunt, ideoque in herbario ipsammet *Statices bracteosae* nomine distinxi.

58. Pancratium maritimum L. Del. fl. aeg. ill. p. 84.

59. Asphodelus fistulosus L. Del. l. c.

60. Cleome pentaphylla L. Del. l. c. p. 96.

61. ——— droserifolia Del. *fl. d'Eg.* p. 317. *H. N. bot.* tab. 36. f. 2. Roridula Forsk. Descr. pl. fl. aeg-arab. p. 35.

62. Frankenia revoluta Forsk. descr. pl. l. c. p. 75. Del. fl. aeg. ill. p. 85.

Obs. Caulis fruticulosus subdichotomus, ramis canescentibus. Folia oblonga, margine revoluta, punctato-pruinosa, basi dilatata in membranam ciliatam amplexicaulem. Calyx punctato-pruinosus tubulosus angulatus 5-fidus (sive sepalis apice tantum discretis). Corolla pentapetala. Stamina sex. Pistillum stigmate bi-trilobo. Flores sessiles solitarii terminales et axillares.

63. Frankenia pulverulenta L. Del. l. c.

64. Cocculus Leaeba De C. Syst. 1. p. 529. Menispermum Leaeba Del. *fl. d'Eg.* p. 381. *H. N. bot.* tab. 51. f. 2. 3. Leaeba Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 172.

Obs. Cl. Brocchi legit et sequentia adnotavit. Calyx hexaphyllus foliolis ovato-obtusis (colore her-

Digitized by Google

baceo), interdum triphyllus. Corolla hexapetala, petalis ovato-obtusis foliolis calycinis brevioribus (colore herbaceo). Nectarium, ligulae sex receptaculo affixae germen ambientes. Styli tres stigmatibus recurvis. Germina tria subtrigona. Drupa immatura rotundato-compressa lateribus carinatis, matura succulenta (rubra). Ossiculum (pyrena) rugosum compressum leviter carinatum, semen includens, umbilicatum. Nondum stamina vidi. Planta arborea trunco flexuoso sarmentoso ad instar vitis arboribus propinquis se se innitens, ramis vimineis laxis gracilibus pendentibus. Baccae (drupae) in eodem pediculo rarius tres, saepe duae, vel unica. Insertio styli, quoad pediculi situm, lateralis. Exemplaria decerpsi ex unica planta, quae juxta *Chartum* in *Sennaar* virebat, et arborem excelsam *Mimosae* cujusdam undique obtegebat. Brocchi ms.

65. Rumex dentatus L. Del. fl. aeg. ill. p. 85.

66. Mimosa polyacantha W. spec. pl. 4. p. 1034. Mimosa Habbas Del. fl. aeg. ill. p. 111.

67. Capparis sodada R. Brown in Oud. et Clapp. voy. p. 17. Sodada decidua Forsk. fl. arab. p. 81. Del. *fl. d'Eg.* p. 256. *H. N. bot.* tab. 26. f. 2.

68. Lawsonia alba Lam. L. inermis Del. fl. aeg. ill. p. 86. L. inermis et spinosa L.

69. Passerina hirsuta L. Del. l. c.

70. Populus alba L.

71. Cardiospermum Halicacabum L. Del. l. c. p. 86.

72. Zygophyllum album L. Del. l. c. p. 87. Z. proliferum Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 87. Icon. rer. nat. tab. XII. f. A.

73. Zygophyllum simplex L. Del. l. c. Z. portulacoides Forsk. l. c. p. 88. Icon. rer. nat. tab. XII. f. B.

74. Balanites aegyptiaca Del. *fl. d'Eg.* p. 263. *H. N. bot.* tab. 28. f. 1. Ximenia aegyptiaca L. sp. pl. p. 1194. *Haledj* Forsk. fl. arab. p. XCVI., et Descr. pl. fl. aeg-arab. p. 197.

Digitized by Google

75. Cassia obovata Collad. monogr. p. 92. C. senna Del. fl. aeg. ill. p. 87.

Obs. Ex Aegypto cl. Acerbi. In Nubia vulgatissimam dicit cl. Brocchi.

76. Cassia acutifolia Del. *Mém. sur l'Egypt.* tom. 3. p. 316. *Fl. d'Eg.* p. 259. *H. N. bot.* tab. 27. f. 1.

Obs. Ex Aegypto cl. Acerbi. In regno *Berber* vulgatissima ex cl. Brocchi. In speciminibus utriusque regionis petioli constanter eglandulosi, ut de sua ait cl. Delile, ideoque videtur a *C. lanceolata* Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 85. diversa. Folia et legumina juniora velutina mollia.

77. Cassia occidentalis L. Del. fl. aeg. ill. p. 87.

Obs. Legit circa *Chartum* in *Sennaar* cl. Brocchi.

78. Trianthema pentandra? L. mant. p. 70. Rocama Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 71!

Obs. Caulis in planta Linnaeana fruticosus erectus, in planta Forskahlii et nostra omnino herbaceus prostratus. An duae igitur species confusae? jure quaerit cel. De Candolleus in Prodr. syst. veg. 3. p. 352. Ad majorem hujusce plantae illustrationem cl. Brocchi sequentes notulas reliquit. Pentandria Digynia. Calyx 5-phyllus carnosus, foliolis apice in corniculum desinentibus, inferus. Corolla nulla. Stamina quinque antheris didymis. Styli duo persistentes, stigmatibus simplicibus. Capsula biloba, lobis apice tuberculis tribus coronatis, septo divisa. Semina 4 compresso-rotundata, nigra, hilo albo. Ex *Chartum* in *Sennaar*. Arabice *Tarbah*. Planta prostrata diffusa. An *Trianthema pentandra?* Brocchi ms. Caulis herbaceus divaricato-ramosus scabro-puberulus. Folia oblongo-elliptica retusa mucronulata, altero minore, ut in *T. monogyna*, quae tamen differt stylo unico, floribus sessilibus, foliis elliptico-rotundatis. Flores in axillis 1-3 pedicellati. Si caulis in planta Linnaeana revera erectus et fruticosus, tunc planta Forskahlii, cujus

Digitized by Google

descriptio in nostram optime cadit, specifice distinguenda, et *T. Forskahlii* nomine salutanda.

79. Trianthema sedifolia.* *Ic. pl.* tab. III. f. 1.

T. caule prostrato ramoso foliisque lineari-oblongis obtusis papillosis, floribus axillaribus ternis sessilibus triandris monogynis, calyce 5-fido submutico.

Descr. Herba papilloso-squamulosa. Radix annua tenuis simplex perpendicularis apice fibrillosa. Caulis bi-tripollicaris prostratus diffususve ramosus. Folia opposita carnosa plana lineari-oblonga obtusa papilloso-ciliata petiolata, petiolis basi membranaceo-dilatatis amplexicaulibus. Flores parvi viriduli axillares bracteolis linearibus 1-2 suffulti. Perianthium campanulatum nervosum persistens 5-fidum, dentibus triangulari-lanceolatis margine scariosis, in fructu conniventibus. Stamina tria perigyna, dentibus perianthii opposita, antheris didymis (ex Brocchi ms.). Stylus unicus brevis persistens stigmate simplici. Capsula circumscissa inclusa membranacea unilocularis, valva inferiore perianthio adnata tenuissima, superiore cupulaeformi libera, transversim secedente, rugosa, apice coronata umbilicata, disperma, seminibus horizontalibus orbiculato-reniformibus plano-concavis nigris, superiore profunde excavato inferiorem tegente. Embryo annularis subperiphaericus. Hab. circa *Chartum* in regno *Sennaar*, ubi eamdem legit cl. Brocchi.

Obs. Differt quodammodo a genere *Trianthemae* perianthio minus diviso, viridi nec intus colorato, dentibus sub apice muticis vel obsolete mucronulatis, staminibus ex cl. Brocchio semper tribus, capsula uniloculari, ex ipso tetrasperma, in ejusdem vero speciminibus semper disperma. Genus minus e firmis characteribus, quam ex habitu recognoscendum, at omnino naturale.

80. Alsine procumbens β. herniariaefolia Fenzl monogr. alsin. ined. Arenaria herniariaefolia Desf.

Digitized by Google

fl. atl. 1. p. 358. A. Bartolotti Tineo pl. rar. sicul. pug. p. 10 (ex specimine a cl. Gussone communicato). A. procumbens β. Gusson. fl. sic. prodr. 1. p. 510. A. rosea Presl ex Fenzl ms.

Obs. Distinguitur a specie parte plantae inferiore glabriuscula, superiore viscido-pubescente, floribus albis. Capsula semper trivalvis, nec quinquevalvis ut habet cel. Desfontaines l. c. Semina subrotundo-reniformia edentula laevia immarginata.

81. Lancretia suffruticosa Del. *fl. d'Eg.* p. 248. *H. N. bot.* tab. 25. f. 1.

Obs. Decandria pentagynia. Calyx 4-phyllus inferus. Petala quinque (ex albo rubella), stamina 10. Styli 5 et 4 in fasciculum congesti (rosei). Germen oblongum pentagonum. Semina plurima. Planta suffruticosa. Ex *Chartum* in *Sennaar*. Brocchi ms. Ex inspectione speciminum liquet foliolorum calycis numerum variare a quatuor ad quinque, quod jam observaverat cl. Delile l. c.

82. Silene succulenta Forsk. descr. pl. fl. aegarab. p. 89. Del. *fl. d'Eg.* p. 284. tab. 29. f. 2.

Obs. In descriptionibus auctorum folia ovata dicuntur, cum potius cum Sprengelio clarissimo obovata dicenda. Petalorum ungues calyce multo longiores, et capsulae apex tricornis optimam praebent ab affinibus differentiam. Radix perennis.

83. Silene canopica Del. fl. aeg. ill. p. 88. Spr. syst. veg. 2. p. 406.

Descr. Radix perpendicularis ramosa annua. Herba omnis piloso-viscida. Caules basi decumbentes, dein adscendentes, ramosi nodosi angulati. Folia inferiora spathulata, superiora oblongo-lanceolata obtusiuscula, basi sessilia subconnata. Flores ramulis terminales, vel axillares, solitarii, in fructu reflexi, calyce triplo breviores. Calyces conici elongati decemstriati, dentibus longiusculis oblongis obtusis

Digitized by Google

margine membranaceis, in fructu clavati. Petalorum ungues calycis tertia parte longiores, lamina profunde bifida, lobis oblongis apice rotundatis, appendice faucis bipartita oblonga apice rotundata. Capsula ovato-oblonga nitida gynophoro conico brevior, apice 5-6-dentata. Semina minima numerosa rotundato-reniformia tenuissime punctulata, secus marginem convexum canaliculata. Flores in sicco videntur albi.

Obs. Speciem paucis cognitam, a cl. Delilio nomine solo donatam, a cl. Seringeo in cel. Decandollei prodr. syst. nat. ommissam, et cel. Sprengelii phrasi specifica tantummodo notam accuratius describere consultum duxi.

84. Nitraria tridentata Desf. fl. atl. 1. p. 372. Del. fl. aeg. ill. p. 89.

85. Ochradenus baccatus Del. *fl. d'Eg.* p. 291. *H. N. bot.* tab. 31. f. 1.

86. Glinus lotoides L. Del. fl. aeg. ill. p. 90.

87. Mesembryanthemum copticum L. Del. l. c. p. 91.

88. Potentilla supina L. Del. l. c.

89. P. supina β. aegyptiaca.*

var. caule piloso erecto, petalis calyce brevioribus.

Obs. Habitus plantae aliquantulum diversus ab ipsa specie ejusdem regionis, sed solo caule erecto nec humifuso, foliisque pilosis mihi diversa. Stipulae lanceolatae in utrisque integrae vel serrulatae, petala nunc calyci subaequalia nunc ipso breviora.

90. Corchorus fruticulosus.* *Ic. pl.* tab. III. f. 2.

C. caule fruticuloso caespitoso diffuso, foliis subrotundo-ellipticis plicato-crenatis glabris, capsulis siliquaeformibus scabris 3-4 valvibus deflexis, valvis sulcatis.

Descr. Calyx 5-phyllus, saepe 4-phyllus, inferus, patens, foliolis ovato-acutis, (ex luteo virescens). Petala 5, saepe 4, unguiculata, ovato-obtusa, lutea.

Digitized by Google

Stamina ut plurimum 10 (ita saltem mihi visum), at 11, 12, 13 adnumeravi, singula libera, receptaculo inserta. Antherae erectae ovatae didymae. Stylus unicus. Stigma penicillatum, papillis muricatis. Germen ovale pilosum. Capsula siliquaeformis in 4 partes dehiscens. Semina plurima quadrilatera. Pedunculus ad basim bracteis tribus. Planta humifusa caespitibus rosaceis lignosis. Folia et capsulae tritae mucillaginem praebent, ideoque ab incolis loco *Corchori olitorii* usurpantur. Arabice *Soteh*. Hab. circa *Chartum* in prov. *Sennaar*. Brocchi ms. Caules lignosi sesqui-bipollicares ramosi divaricati teretes. Folia elliptica vel subrotunda, margine plicato-crenata supra lineata, subtus nervosa, nervis exstantibus, petiolis folio vix brevioribus ad lentem hispidulis. Stipula lineari-lanceolata prope petioli insertionem. Flores axillares solitarii minuti breviter pedunculati, basi tribracteolati, bracteis linearibus. Sepala oblongo-lanceolata acuta decidua. Petala obovata calyce vix longiora. Stylus ovario hispidulo longior, apice inflexo-adscendens, stigmate unico subcapitato papilloso. Capsula subulata 3-4 valvis, tri-quadrilocularis, valvis unisulcis, medio longitudinaliter septiferis, polysperma, seminibus oblongis angulatis, saepius tetragonis rufescentibus.

Obs. Species distinctissima, stylo elongato et stigmate unico a genere discrepans, caeteris notis omnino conveniens.

91. Adonis dentata Del. *fl. d'Eg.* p. 387. *H. N. bot.* tab. 53. f. 1.

Obs. Species carpellis obovatis basi lacunosis, superne margine dentato horizontali circumdatis a reliquis distinctu facilis.

92. Ranunculus sceleratus L. Del. fl. aeg. ill. p. 92.

93. Marrubium acetabulosum L. sp. 817. Ballota acetabulosa Benth. lab. p. 595.

Digitized by Google

94. Verbena supina L. Del. fl. aeg. ill. p. 93. V. procumbens Forsk. descr. pl. p. 10.

Obs. Herba omnis villosior et spicae multo breviores atque densiores quam in speciminibus plantae europaeae.

95. Volkamera Acerbiana.* *Ic. pl.* tab. IV. f. 1.

V. foliis oppositis verticillatisque ovatis tomentosis, inferioribus acutis, cymis axillaribus folio longioribus, calycis cano-tomentosi dentibus lineari-subulatis.

Descr. Caulis fruticosus, ramis cano-tomentosis. Folia opposita aut verticillata ovata, vel basi subcordata, integra, petiolata, inferiora acuta, suprema obtusiuscula, supra velutina, subtus tomentosa pube ramosa substellulata. Flores in cymas longe pedunculatas bifidas dichotomasque bracteatas axillares congesti, bracteis oblongo-linearibus canis; calycibus acute 5-fidis anguste campanulatis immutabilibus; corollae hypocraterimorphae tubo gracili elongato, limbo quadrilobo, lobis oblongis obtusis subsecundis. Stamina quatuor longe exserta, filamentis capillaribus, antheris ovato-sagittatis. Stylus staminibus aequilongus apice bifidus. Drupa dipyrena, pyrenis bilocularibus.

Obs. Species, cl. equitis Jos. Acerbi, stirpium harum aegyptiacarum collectori scienti, donatori munifico, nomine decorata.

96. Linaria pelisseriana Dec. Antirrhinum L.

97. Buchnera hermonthica Del. *fl. d'Eg.* p. 309. *H. N. bot.* tab. 34. f. 3.

98. Orobanche arenaria Brkh. in Reichb. fl. exc. 2. p. 256?

99. Phelipaea lutea Desf. fl. atl. 2. p. 61. tab. 146. Lathraea phelipaea L. Orobanche tinctoria Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 112. Del. fl. aeg. ill. p. 94.

100. Cakile maritima Scop. fl. carn. n.° 844. Del. l. c. Bunias cakile L.

Digitized by Google

101. C. maritima β. sinuatifolia DC. syst. nat. 2. p. 429. C. β. aegyptiaca Del. l. c. p. 95. C. aegyptiaca W. sp. pl. 3. p. 417. Isatis aegyptiaca Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 121, non L.

102. Zilla microcarpa. *

Z. siliculis bisulcatis utrinque tricostatis, inter costas transverse rugosis, foliis inciso-sinuatis.

Syn. Z. miagroides β. microcarpa DC. syst. nat. 2. p. 647. Zilla Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 121. n.° 75. Icon. rer. nat. tab. XVIII. f. A.

Obs. Differt a *Z. myagroide* Forsk. l. c. n.° 74, ut suspicatus est idem Forskahlius, et postea cl. Decandolleus ramis confertioribus, spinis compositis, silicula dimidio minore, hexagona, et inter costas transverse rugosa. Rami in utraque variant erecti, vel recta patentes, vel tantum divaricati. *Zilla myagroides* igitur sic definienda = Z. siliculis bisulcatis utrinque laevibus planis, foliis subdentatis = Huic pertinet alia Forskahlii icon. rer. nat. tab. XVII. fig. A. Icon vero Prosperi Alpini de pl. exot. p. 200 nostrae fortasse pertinet ex habitu, siliculorum parvitate, foliorumque incisuris. Dubia autem semper ob siliculae characteres nec in icone, nec in descriptione indicatas.

103. Enarthrocarpus lyratus DC. syst. nat. 2. pagina 661. Raphanus lyratus Forskahl. fl. aeg-arab. descr. pl. p. 119. R. recurvatus Pers. syn. 2. p. 209. Del. *fl. d'Eg.* p. 316 (excl. syn. *E. arcuati* Labill.) *H. N. bot.* tab. 36. f. 1.

104. Mathiola acaulis DC. syst. nat. 2. p. 168. Cheiranthus acaulis Balb. Spr. nov. prov. pag. 10. n.°. 19. *Ic. pl.* tab. III. f. 3.

Obs. Rarissimae hujusce plantulae jam ab unico Vitaliano Donati in Aegypto collectae specimina omnia hactenus visa fructu carebant. Operae igitur pretium erit specimina fructifera Acerbianae colle-

Digitized by Google

ctionis describere, ut plantae genus, de quo Decandolleus idem dubitaverat, innotescat. Siliquae ejusdem exacte lineares subsessiles compressae, pube stellulata canescentes, pollicares, lineae vix integrae latitudine, erecto-patentes, stigmatibus incrassatis, dorso gibbis, compressis obtusis ecornibus glabris terminatae, in racemum pollicarem laxum radicalem digestae vel omnino aphyllum, vel cum caule brevissimo continuatum, ideoque basi foliatum. Semina minima orbiculata lenticularia, hilo emarginata, aptera, cinnamomea dein fusca. Flores patuli purpurascentes. Caulis vel nullus vel brevissimus basi foliatus decumbens. Folia infima oblongo-linearia sinuato-vel pinnatifido-dentata, basi attenuata, caetera linearia subdentata. Planta omnis stellulato-canescens sesquipollicaris. Caeteri characteres ut in Dec. et Spr. syst. veg.

105. Malcolmia aegyptiaca Spr. syst. veg. 2. p. 898. Cheiranthus lividus Sieb. et Spr. l. c. *Ic. pl.* tab. IV. f. 2.

Descr. Radix gracilis longissima simplex tenax, et ut videtur perennans. Caules basi sublignosi nunc decumbentes nunc erectiusculi ramis patulis adscendentibus. Folia inferiora ovali-oblonga, superiora lineari-oblonga, integerrima, sessilia, obtusa. Flores in apice caulis ramorumque laxe racemosi pedicellati purpurascentes. Calyx basi bigibbus, sepalis linearibus margine membranaceis. Petala obovata, longe unguiculata, sepalis duplo longiora. Siliqua teretiuscula linearis semipollicaris, vel paullo longior, pedicellata, pedicello sextuplo longior, torulosa, apice acuminata, stigmatibus arcte in unicum conniventibus, subulatis acutis deciduis glabris. Semina uniserialia oblongo-ovata obtusa, basi oblique truncata, ibique hilo emarginata, pallide cinnamomea, plano-convexa, immarginata. Rami, folia, pedicelli, calyces et siliquae pube fasciculato-stellulata canescentes, stellulis remotiusculis.

Digitized by Google

Obs. Stirps sola Sprengelii phrase specifica hactenus nota. In speciminibus junioribus radix videtur annua, caules herbacei, in aliis radix perennans, caulesque basi lignescentes. Probabile tamen est plantam hanc natura sua annuam esse; perennare autem in Aegypti desertis ob arenosam soli indolem, qua fit ut radices longe lateque vagari cogantur ut aliquem humorem hauriant, et caules basi ariditate loci lignescant: quod etiam in aliis pluribus Aegypti plantis videre est, quae loco natali ob dictas causas perennes, cultura annuae fiunt.

106. Senebiera nilotica DC. syst. nat. 2. p. 527. Cochlearia nilotica DEL. *fl. d'Eg.* p. 308. *H. N. bot.* tab. 34. f. 4.

Obs. Siliculae cordato-reniformes reticulato-rugosae, altera facie convexae ad septum depressum canaliculatae, altera planae septo prominulo, apice levissime emarginatae, incisura stigmate sessili vix excedente clausa. Folia polymorpha, radicalia nunc interrupte pinnatifida lobis incisis, nunc pinnatiloba, lobis modo crenatis, modo integris, nunc irregulariter incisa; superiora gradatim minus divisa, suprema oblongo-linearia integra.

107. Gossypium arboreum L. FORSK. fl. aeg-arab. descr. pl. p. 125. G. vitifolium DEL. ill. fl. aeg. p. 98, non CAV.

Obs. Bracteae involucri variant integrae, tridentatae, septemdentatae. Folia autem omnia quinqueloba lobis obtusis vel acutis, nec superiora triloba, bracteae glandulosae nec triglandulosae speciem hanc a *G. vitifolio* distinguunt. *G. rubrum* FORSK l. c. huc a cl. DECANDOLLEO in Prodr. dubitanter adductum, discrepat floribus rubris.

108. Hibiscus cannabinus L.

Obs. An huc *H. tripartitus* FORSK. fl. aeg-arab. descr. pl. p. 126? Sed folia tantum inferiora tripar-

Digitized by Google

tita, reliqua quinquepartita. Caeteri vero characteres conveniunt, nam in nostro flores non subsessiles, ut ait cel. DECANDOLLEUS in Prodr. syst. nat. 1. p. 450, et calyces glanduloso-pilosi, sed flores distincte pedicellati, pedunculis fructu quadruplo brevioribus, calyces aculeato-hispidi, et capsulae pilosae, quae omnia de suo notat FORSKAHLIUS. Species haec, ut aliae plurimae, a cl. DELILIO ommissa.

109. Sida spinosa β. sennaariensis.*

Obs. Differt a specie Linnaeana pedunculis inaequalibus aggregatis (2-7) nec solitariis, stipulas duplo superantibus nec brevioribus, petiolo demum longioribus. Caetera ut in specie. Petala albida. Hab. circa *Chartum* in regno *Sennaar*, ubi eam legit cl. BROCCHI.

110. Sida mutica DEL. fl. aeg. ill. p. 97.

111. Acacia Lebbek W. sp. pl. 4. p. 1066. DEL. fl. aeg. ill. p. 111. Mimosa L.

112. —— albida DEL. *fl. d'Eg.* p. 385. *H. N. bot.* tab. 52. f. 3.

113. —— Seyal DEL. l. c. p. 384. *H. N. bot.* tab. 52. f. 2.

Legit in regno *Berber* cl. BROCCHI.

114. —— vera. W. sp. pl. 4. p. 1085. Mimosa nilotica L. sp. pl. p. 1506.

115. —— arabica W. l. c. p. 1084. A. nilotica DEL. fl. aeg. ill. p. 111.

Obs. Legit in regno *Berber* prope ripas Nili cl. BROCCHI. Differt a descriptionibus datis capitulis 6-9, legumine tomentoso.

116. Acacia horrida W. sp. pl. 4. p. 1082.

117. Fumaria officinalis L. DEL. fl. aeg. ill. p. 98.

118. Ononis vaginalis VAHL symb. bot. 1. p. 53. DEL. fl. aeg. ill. p. 98. VIV. fl. lyb. spec. tab. IV. f. 4. O. Cherleri FORSK. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 130, non L.

Digitized by Google

119. Rhynchosia memnonia DC. Prodr. syst. veg. 2. p. 386. Dolichos memnonia Del. *fl. d'Eg.* p. 326. *H. N. bot.* tab. 38. f. 3.

120. Psoralea plicata Del. *fl. d'Eg.* p. 322. *H. N. bot.* tab. 37. f. 3.

121. Dorycnium argenteum Del. l. c. p. 332. *H. N. bot.* tab. 40. f. 1.

122. Trifolium resupinatum L. Del. fl. aeg. ill. p. 100.

123. Crotalaria thebaica DC. Prodr. syst. veg. 2. p. 128. Spartium Del. *fl. d'Eg.* p. 319. *H. N. bot.* tab. 37. f. 1. Spr. syst. veg. 3. p. 177.

Descr. Suffrutex diffuso-ramosus villosus, ramis striatis apice spinescentibus, foliis ovatis ovalibusve apice acuto reflexis, integris, brevissime petiolatis, simplicibus. Flores secus ramorum apices remote racemosi nutantes, racemis bi-trifloris, folio florali caeteris conformi pedicelloque breviore praediti, ad pedicelli apicem bracteolis binis lineari-lanceolatis muniti. Calyx villosus subbilabiatus pedicello longior profunde quinquefidus, laciniis lanceolatis falcatis ciliatis, tribus inferioribus longioribus, infimo lineari. Corolla vix calyce major (lutea striis fuscis), vexillo elliptico orbiculato, utrinque integro, striato unguiculato, prope unguem utrinque squamula transversa callosum, alis vexillo paullo brevioribus oblongis obtusis, carina erecta genitalia includente, inflexo-falcata compressa, apice attenuata sed obtusa, basi bifida ibique margine et dorso pilosa, ungue indistincto. Stamina monadelpha, vagina superius fissa, pentadynama, sive filamentis quinque brevioribus antheris linearibus, quinque longioribus alternis antheris subrotundis. Ovarium lanceolatum pilosum: stylus inflexo-adscendens unifariam hirsutus: stigma oblongum obtusum crassiusculum lateraliter barbatum. Legumen ovale inflatum villosum sessile, stylo persi-

Digitized by Google

stente laterali instructum, 1-3-spermum pendulum. Semina nitida irregulariter obovata compressa rufocinerea, ad hilum nigra excisa.

Obs. Plantae genere dubiae diligentem analysim exhibere non abs re fore duxi. Differt a Spartio carina erecta genitalia abscondente, et legumine ovali turgido stylo laterali persistente munito, ab Ononide, cujus habitum et flores refert, staminum vagina fissa nec integra, stigmate obtuso oblongo barbato, nec acuto simplici glabro, a Crotalariis quoque, cui caeterum omnino congener, legumine sessili nec intra calycem pedicellato, et fors etiam stylo laterali. Vexillum vero ellipticum nec cordatum, alae vix vexillo breviores nec brevissimae, discrimen hoc magis quoque probarent, si notae hae Crotalariis omnibus communes essent, quod minime verum esse e *Crotalaria incana* desumitur, quae vexillo gaudet elliptico, alisque vix illo brevioribus, ut haec nostra. Etiam stamina alterne longiora, formaeque antherarum diversitas in eadem Crotalariae specie observantur, ideoque differentia generica omnino nulla ex hac nota desumi potest. In icone cl. Delilii superius citata forma seminum, longitudo dentis infimi calycis, et styli insertio haud bene exhibetur.

124. Genista monosperma Lam. Enc. bot. 2. pag. 616. Spartium L. sp. pl. p. 995. Delil. fl. aeg. ill. p. 98. Genista raetam Forsk. fl. aeg-arab. descr. pl. p. 214.

Obs. Nomen specificum Forskahlii utpote antiquius caeteris anteferendum.

125. Lupinus digitatus Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 131.

L. floribus verticillatis bracteolatis, calycis labio superiore bipartito, inferiore integro, foliolis subnovenis oblongis sericeo-villosis, caulibus molliter villosis, leguminibus hirsutissimis. *Ic. pl.* tab. V.

Digitized by Google

Descr. Radix ex Forskahlio perennis, nec nostra specimina obstant. Caulis pedalis aut cubitalis erectus ramosus angulatus. Folia longissime petiolata sericeo-villosa, petiolis basi dilatato-amplexicaulibus, stipulis binis subulatis, digitata, foliolis 9 vel 11, oblongo-linearibus complicatis basi attenuatis, apice mucronulatis. Flores verticillato-spicati, terni vel quini in quoque verticillo, verticillis tribus ad sex, pedicellati, bracteis lanceolato-linearibus membranaceis hirsutis pedicello duplo longioribus. Calyx adscendens villosus, labio superiore bipartito laciniis lanceolatis, inferiore lanceolato complicato integro, appendiculo utrinque filiformi. Corolla vexillo subovato apice emarginato-bilobo, coeruleo, dorso macula oblonga flava, alis oblongis apice dilatatis retusis coeruleis, carina versus apicem flavida dein fuscescente, maxima ex parte alba. Legumina erecto-patentia, rufo hirsutissima, late linearia, stylo sigmoideo persistente conico, apice subulato glabro terminata.

Obs. Planta a cl. Delilio in fl. aeg. ill. p. 99, et postea ejus fide a cel. Decandolleo in Prodr. syst. nat. 2. p. 407 cum *L. hirsuto* confusa, a quo toto coelo diversa duratione perenni nec annua, statura triplo majore, floribus verticillatis nec alternis, calycis labio inferiore integro nec trifido. Potius affinior *L. piloso*, a quo discriminatur perennitate, rufa leguminum hirsutie, florum colore.

126. Lupinus termis Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 131. Del. fl. aeg. ill. p. 98.

127. Tephrosia apollinea DC. Prodr. syst. nat. 2. p. 254. Galega apollinea Del. *fl. d'Eg.* p. 388. *H. N. bot.* tab. 53. f. 5.

Descr. Racemi oppositifolii, nunc folia subaequantes, nunc multo longiores. Flores ut plurimum binati ternative. Calyx quinquedentatus, dentibus linearibus, duobus supremis coalitis brevioribus. Corollae

Digitized by Google

vexillum cordatum obtusum magnum villoso-canescens. Alae a medio ad basim cum carina monopetala obtusa concretae. Stamina diadelpha, filamento deno remoto. Stylus et stigma conformia linearia obtusa membranacea glabra. Ovarium tomentosum. Legumen lineare sericeo-canescens 5-6-spermum patens, valvis ante maturitatem planis, ideoque legumen tunc temporis omnino compressum, seminum maturitate convexis et legumen teretiusculum. Semina oblongo-reniformia, compressa, obtusa, arillo arachnoideo laxo secus dorsum aperto circumdata. Legit in Nubia cl. Brocchi.

Obs. Arillum hoc nil est nisi endocarpium, sive membrana intima pericarpii, quae in cavitatibus valvarum, quibus semina continentur, ab ipsis secedit, et semina circumvestit, quin illis ullibi adhaereat nisi per hilum. Quod arillum sit ipsa haec membrana, nec expansio funiculi, nec tunica propria seminis, probatur tum ejusdem continuitate cum reliquo endocarpio in leguminibus immaturis, tum existentia fimbriarum circa cavitates semina continentes in maturis, qua evincitur, sacculum semen vestientem olim cum fimbriis illis cohaesisse, ejusque continuitatem seminum successivo incremento disruptam laceratamque fuisse. Probatur insuper defectu endocarpii in foveolis valvarum, utpote quod ab ipsis secessum maturo semini adhaereat.

128. Lablab vulgaris Savi diss. p. 19. Dolichos Lablab L. Del. fl. aeg. ill. p. 99.

Obs. Icon Prosperi Alpini *de plantis Aegypti* p. 75, et descriptio *phaseoli nigri lablab vocati* ejusdem p. 74, nostrae nullimode pertinet, cum legumina ibidem dicantur et pingantur *longa instarque fabarum latissima,* dum in vero *Lablab* obovato-acinaciformia sunt. Interdum etiam obcordata fiunt ob latera fructus opposita regulariter et aeque incur-

Digitized by Google

va, transversum sive superius late emarginatum. Planta insuper Alpini est arbor sarmentosa annos centum et amplius vivens perpetuoque virens, quod certo nostrae omnino contrarium, ni putes Alpinum scandentem herbam cum planta quadam arborea, cui forte innitebatur, commutasse.

129. Lotus arabicus L. mant. 104. Del. fl. aeg. ill. p. 100.

Obs. Bracteae nec calyce longiores, nec pedunculis aequilongae, ut habet cl. Seringe in DC. Prodr. 2. p. 212, sed e contra calyce vel breviores vel vix aequales, pedunculis duplo longiores.

130. Lotus corniculatus β. major Ser. in DC. Prodr. 2. p. 214.

131. Trigonella foenum graecum L. Del. fl. aeg. ill. p. 101.

132. ——— hamosa L. Del. l. c. p. 100.

133. ——— dura. * *Ic. pl.* tab. VII. f. 1.

T. glabra, caule prostrato, foliolis obcordatis apice denticulatis, pedunculis umbelliferis apice productis, axillaribus, folia subaequantibus, fructiferis incrassatis induratis cernuis, leguminibus reflexis linearibus sulcatis acuminatis glabriusculis, stylo mucronatis, reticulato-nervosis.

Descr. Radix annua perpendicularis. Caules prostrati duri ramosi flexuosi angulati. Stipulae lanceolatae amplexantes latiusculae subserratae. Folia petiolata, foliolis obcordatis, basi cuneatis integris, apice denticulatis emarginatis, medio mucronulatis. Pedunculi maturitate fructuum incrassati duri rigidi terram spectantes, apice in appendiculum lineare producti. Calycis dentes lanceolati acuti, basi ciliati. Legumina rigide reflexa pedicellis incrassatis duris, linearia, vel lineari-lanceolata, apice nec basi attenuata, nervis prominulis reticulata, incurva, acuta, pilis aliquot adpressis raris adspersa. Semina oblonga truncata fusca.

Digitized by Google

Obs. Affinis, ut videtur *T. maritimae* Del. et *T. litorali* Guss. Ab illa differt leguminibus nec basi turgidis nec striatis nec rectis, pedunculis folio subaequalibus nec brevioribus; ab hac foliis obcordatis nec obovatis, calycis dentibus lanceolatis nec ovatis, leguminibus apice nec basi attenuatis: ab utrisque pedunculis fructiferis induratis crassis.

134. Trigonella arguta. * *Ic. pl.* tab. VIII. f. 1.

T. caule diffuso ramoso glabriusculo, petiolis alatis, foliolis cuneato-obovatis argute inciso-dentatis, bracteis amplexicaulibus laciniatis, florum pedicellatorum capitulis axillaribus subsessilibus folio brevioribus, dentibus calycinis setaceis, leguminibus oblongis rectis nutantibus, transverse rugulosis, calyce paullo longioribus.

Descr. Radix annua simplex. Caules ex una radice plures diffusi angulati ramosi. Stipulae lato-lanceolatae amplexicaules profunde laciniatae, laciniis linearibus. Folia petiolis dilatatis a basi ad apicem latioribus, foliolis profunde dentatis, dentibus linearibus, basi cuneata integris, intermedio longius petiolato. Florum capituli vel omnino sessiles, vel breviter pedunculati, folio semper breviores. Calyx corolla brevior, laciniis setaceis. Legumina oblonga vix utrinque attenuata, lineam lata, duas lineas longa, compressa, recta, tenuiter transverse reticulata glabriuscula, styli basi mucronata. Semina oblonga fusca, hilum versus cinnamomea emarginata laevia.

Obs. Folia et stipulae *Trigonellae laciniatae*, vel *pinnatifidae*, ab utrisque diversa leguminibus brevibus oblongis rectis.

135. Medicago marina L. Del. fl. aeg. ill. p. 101.

136. ——— apiculata W. sp. pl. 3. p. 1414.

137. Vicia sativa L. *var.* floribus solitariis, calycis laciniis hirsutis.

138. Alhagi Maurorum Tourn. car. 54. Hedysarum Alhagi L. sp. pl. p. 1051. Del. fl. aeg. ill. p. 99.

Digitized by Google

139. Sesbania aegyptiaca Pers. syn. pl. 2. p. 316. Del. fl. aeg. ill. p. 99. Aeschinomene Sesban L. sp. p. 1061.

140. Indigofera tinctoria L.

Obs. Tota setulis minimis adpressis cinereis glaucescens. Legit prope *Chartum* in *Sennaar* cl. Brocchi.

141. Indigofera paucifolia Del. *fl. d'Eg.* p. 320. *H. N. bot.* tab. 37. f. 2. Ex Aegypto cl. Acerbi, ex Nubia cl. Brocchi.

142. Centaurea pumila L. Del. fl. aeg. ill. p. 106, excl. syn. Forsk.

Obs. C. mucronata Forsk. pl. fl. aeg-arab. descr. p. 151 a cl. Delilio huc adducta discrepat evidenter caule pedali ramoso, nec brevissimo simplici, foliis indivisis serratis pilosis, nec lyrato-runcinatis albo-tomentosis, squamis mucronatis, non spinosis. Squamae in nostra eroso-denticulatae.

143. Centaurea straminea W. C. prolifera Vent. Del. fl. aeg. ill. p. 106. C. acaulis Forsk. l. c. p. 152.

144. Centaurea polyacantha W. C. bimorpha Viv. fl. lyb. spec. p. 58. tab. 24. f. 3.

145. Sphaeranthus indicus L. Del. fl. aeg. ill. pag. 106. Polycephalos Forsk. l. c. p. 154.

146. Diotis candidissima Desf. fl. atl. 2. p. 261. Del. fl. aeg. ill. p. 103. Athanasia maritima L. sp. pl. p. 1182.

147. Gnaphalium luteo-album L. Del. l. c. p. 104.

Obs. Specimina aegyptiaca sunt longius ac patentius lanata et angustifolia.

148. Gnapholium arenarium L.

149. ———— angustifolium Lam.

Obs. An huc G. Stoechas Del. ill. fl. aeg. p. 104, saepius cum praecedente confusum?

150. Artemisia judaica L. Del. *fl. d'Eg.* p. 346. *H. N. bot.* tab. 43. f. 3.

Obs. Nomen arabicum ex. cl. Acerbi, *Betarán.*

Digitized by Google

151. Artemisia monosperma Del. l. c. pag. 343. *H. N. bot.* tab. 43. f. 1. Oligosporus monospermus Bess.

152. BROCCHIA nov. gen.

Involucrum imbricatum adpressum. Capitulum homogamum, sive flosculis omnibus hermaphroditis. Corollae uniformes quadrifidae infundibulari-tubulosae, tubo diaphano compresso-tetragono subvesicario. Achenium nudum apterum sessile compresso-tetragonum. Receptaculum papillosum ebracteolatum haemisphericum. *Ord.* Synantherarum. *Class.* Syngenesiae polygamiae aequalis in syst. sex.

Brocchia cinerea. *

Descr. Herba cinereo-tomentosa absynthium redolens, radice gracili annua, caulibus diffusis, foliis linearipinnatifidis, capitulis globosis pedunculatis terminalibus, involucri foliolis lineari-oblongis margine lanatis, biserialibus, acheniis oblongo-ovalibus. ⊙

Syn. Cotula cinerea Del. *fl. d'Eg.* p. 364. *H. N. bot.* tab. 47. f. 4.

Hab. in Aegypti arenosis ad pyramides *Gyzeh* et *Saqqârah.*

Obs. Differt a *Cotulis* floribus omnibus hermaphroditis quadrifidis corollatis fertilibus, nec in ambitu foemineis apetalis sterilibus; achenio sessili tetragono, nec plano floribusque foemineis stipitato: receptaculo haemisphaerico nec plano. Differentiam jam novit cel. Decandolleus (Vid. *Ann. des sc. nat.* T. II. Novemb. 1834, p. 265). Mirandum autem cl. Lessing speciem hanc *Cotulis* suis *veris* adnumerasse, cum eidem desint notae illae fere omnes, quibus ipsemet auctor *Cotulas* suas distinguit. Vid. Less. Syn. gen. comp. p. 260-61.

Genus hocce dicatum vellem memoriae immortali cl. Joh. Bapt. Brocchi bassanensis, zoologi, botanici, ac praecipue mineralogi et geognostae cele-

Digitized by Google

berrimi, anno MDCCCXXVI. in regno *Sennaar* Africae borealis, quo rerum naturalium studio et amore flagrans se se contulerat, miserrime vita functi. Collectiones ejus praetiosissimae ab ipso urbi natali legatae Bassani asservantur: adhuc tamen illustratorem desiderant.

153. Cotula anthemoides β. nilotica Lam. Enc. bot. edit. pat. 2. p. 136.

C. a. foliis utrinque lanuginosis.

Syn. Artemisia nilotica L. sp. pl. edit. 2. p. 1188. Tanacetum humile Forsk. fl. aeg-arab. descr. pl. pag. 148. Cotula anthemoides Del. fl. aeg. ill. pag. 105.

154. Pulicaria undulata Cass. Inula L. Del. *fl. d'Eg.* p. 356. *H. N. bot.* tab. 46. f. 1.

155. Francoeuria crispa Cass. Inula Pers. syn. pl. 2. p. 450. Del. *fl. d'Eg.* p. 353. *H. N. bot.* tab. 45. f. 2. Aster crispus Forsk. fl. aeg-arab. descr. pl. pagin. 150.

156. Senecio squalidus L. Del. fl. aeg. ill. p. 104.

157. ——— verbenaefolius Jacq. hort. 1. p. 2. tab. 3.

Obs. Differt a descriptione et icone cel. Jacquini habitu robustiore elatiore, foliis bipinnatifidis latis, ut plurimum sessilibus, corymbo decomposito multifloro, pedicellis bracteolatis. Videtur tamen ejusdem forma luxurians.

158. Senecio coronopifolius Desf. fl. atl. 2. pag. 273-74. Del. fl. aeg. ill. p. 104.

159. Anthemis cairica. * *Ic. pl.* tab. VI. f. 1.

A. subvillosa, caule angulato paniculato ramoso, foliis bipinnatifidis, laciniis linearibus subincisis cuspidatis, basi pectinato-pinnatifidis amplexicaulibus, pedunculis terminalibus unifloris, squamis capituli fusco-marginatis, paleis receptaculi linearibus flosculis brevioribus semina obconica retusa striato-sulcata superantibus.

Digitized by Google

Syn. A. retusa Del. fl. aeg. ill. p. 105. n.° 838, non Link.

Anthemides n.° 454-457 Forsk. fl. aeg. pag. lxxiv. teste cl. Del.

Descr. Radix annua, e qua nunc caulis unicus, nunc plures oriuntur angulosi sulcati paniculate ramosi, ramis divergentibus. Folia circumscriptione ovalia vel oblonga, bipinnatifida, laciniis in cuspidem spinuliformem attenuatis, basi angustata, ibique costa dilatata, et pectinate conferteque pinnatifida, amplexicaulia. Pedunculi apice subincrassati. Involucri foliola oblonga obtusa, margine scariosa et fusca. Corollarum radii ligulae subspathulatae, apice tridentatae. Paleae receptaculi haemisphaerici anguste lineares, flosculis breviores, acheniis longiores. Achenia obverse conica apice nuda retusa, tuberculo medio vix prominulo, longitudinaliter striata, vel etiam sulcata.

160. Achillea santolina L. Del. fl. aeg. ill. p. 105.

161. Eclipta prostrata L. Micrelium Tolak Forsk. fl. aeg-arab. descr. pl. p. 153. Ex *Chartum* in *Sennaar* prope ripam Nili.

162. Cervana pratensis Forsk. fl. aeg. p. lxxiv. descr. pl. p. 153. Cass. *Dict. des. sc. nat.* VIII. p. 12. Less. syn. gen. comp. 202. Buphthalmum pratense Vahl Del. *fl. d'Eg.* p. 367. *H. N. bot.* tab. 48. f. 2.

Copiosissima prope Nilum in locis jamdiu innundatis *Zeidab* in regno *Sennaar* ex cl. Brocchi, in Aegypto ex cl. Acerbi.

163. Calendula arvensis L. Del. fl. aeg. ill. p. 106.

164. Sonchus chondrilloides Desf. fl. atl. 2. p. 226. Del. fl. aeg. ill. pag. 102. Leontodon mucronatum Forsk. fl. aeg-arab. descr. pl. p. 144.

165. Microrhynchus nudicaulis Less. syn. comp. p. 139. Lomatolepis Cass. *Dict. des. sc. nat.* LXVIII. pag. 422. Chondrilla L. Sonchus divaricatus Desf. Ann. mus. et H. Paris. Del. fl. aeg. ill. p. 103.

Digitized by Google

166. Apargia annua. * *Ic. pl.* tab. VI. f. 2.

A. foliis late linearibus runcinato-pinnatifidis, basi attenuatis integris, subtus glabriusculis, laciniis ovato-triangularibus mucronulatis, supra et margine hispidis, pilis simplicibus, scapo basi hirsuto, superne glabriusculo squamuloso incrassato, subunifloro, involucro hispido.

Descr. Radix annua gracilis. Folia omnia radicalia, infimis interdum spathulatis integris, caeteris pinnatifidis basi persaepe integris, supra hirsutis, subtus glabriusculis, pilis albidis simplicibus; laciniis ciliatis, triangularibus vel ovatis mucronulatis, saepius alternis, rectis vel parum deflexis. Scapus basi dense hirsutus, ibique in uno tantum specimine folio lanceolato integro utrinque acuminato instructus, superne glabriusculus, squamula una alterave hirsuta lineari munitus, apice incrassatus, uniflorus vel raro biflorus. Involucri foliola lanceolata imbricata erecta hirsuta, superiora nigro-marginata, infima linearia laxiuscula. Corollulae profunde 4-5 dentatae. Stylus scaber. Receptaculum nudum. Achenium oblongo-lineare conforme in rostrum breve continuum apice attenuatum. Pappus paleis linearibus angustissimis, omnibus basi rariter plumosis, superne simplicibus denticulatis. Flores lutei.

Obs. Notae generis omnes ut in *Apargia* Less. syn. com. p. 132. An huc Leontodon asperum Forsk. fl. aeg-arab. descr. pl. p. 145? Sed in nostro nec calyces squarrosi nec pappus simplex.

167. Picris lyrata Del. *fl. d'Eg.* p. 344. *H. N. bot.* tab. 40. f. 3.

Obs. Specimina collectionis Acerbianae fructu carent. Adest haec inter varietas major a cl. Delileo l. c. p. 131 foliis ramorum pinnatifidis distincta. Differt ab hac *Leontodon asperum* Forsk. a cl. Delileo huc adductum seminibus laevibus, pappo simplici.

Digitized by Google

168. Picris pilosa Del. *fl. d'Eg.* p. 336. *H. N. bot.* tab. 41. f. 1.

Obs. Planta nostra non pilosa sed hirta, pilis rigidis patentibus simplicibus, vel etiam apice bifidis ramulis divaricatissimis. Semina cyanaea. Caetera ut in icone et descriptione cl. Delilei.

169. Picridium tingitanum Desf. fl. atl. 2. p. 220. Del. fl. aeg. ill. p. 102. Scorzonera L. Forsk. descr. pl. fl. aeg-arab. p. 143.

170. Crozophora Brocchiana.* *Ic. pl.* tab. VIII. f. 2.

C. fruticosa, stellato-lanata, foliis rhombeo-ovatis obtusis plicatis subrepandis eglandulosis, racemis axillaribus, capsulis squamoso-nitidis.

Descr. Rami lignosi teretes pilis fasciculato-stellatis luteolis undique, et praecipue superius, obsiti. Folia ovata vel rhombea, utrinque dense stellato-lanata, plicata, obtusa, petiolo folii dimidium subaequante, basi stipula lineari angustissima praedito. Racemi axillares quinque-sexflori, floribus sessilibus, bracteolis linearibus suffultis. Perianthium floris foeminei decempartitum, laciniis linearibus intus glabris fuscis, extus albo-lanatis, persistentibus. Styli tres bipartiti, intus purpurei, extus stellulato-setosi. Capsula tricocca subrotunda aut elliptica squamosa, squamis nitidis orbiculatis scariosis pallidis, medio puncto rubro umbilicatis, ibique subtus adhaerentibus, margine liberis.

Hab. in deserto prope *Nedi* in regno *Berber.* Cl. Brocchi.

Obs. Ex descriptionibus affinis videtur *C. senegalensi*, tamen differt foliis minime hastatis, ut de sua cl. Lamarckius, plicatis nec planis, eglandulosis, utrinque cum caule lanato-stellulatis, nec illis supra viridibus, hoc brevissime stellulato, petiolis multo longioribus.

171. Croton obliquifolium.* *Ic. pl.* tab. VII. f. 2.

C. caule fruticoso, stellato-hirsuto, foliis eglandulosis oblique subcordato-rotundatis repandis utrinque

Digitized by Google

stellato-tomentosis plicatis, racemis axillaribus multifloris erectis, capsulis stellato-villosis pendulis, seminibus rugulosis.

Syn. C. tinctorium? Forsk. fl. aeg-arab. descr. pl. p. 162, non Linn.

Descr. Rami lignescentes divaricati stellulato-hirsuti teretes. Folia longe petiolata alterna subrotundo-cordata, basi obliqua, plicata vel bullata, utrinque stellato-tomentosa, repanda. Racemi axillares multiflori densi, floribus pedicellatis patentibus, bracteis linearispathulatis hirsutis. Calyx tum in mare tum in foemina quinquefidus. Stamina plura basi connexa. Styli bifidi. Fructus tricoccus pendulus stellato-villosus.

Obs. Differt a *Crozophora plicata* Juss. genere, frutescentia, foliis, capsulis pendulis; a *C. obliqua* Juss. genere, frutescentia, foliorum forma nec ovato-lanceolata nec integra, capsulis villosis nec squamulosis.

172. Chara vulgaris L. Arabice *Disi.*

173. Cucurbita Lagenaria L. Del. fl. aeg. ill. pag. 108. Lagenaria vulgaris Ser. in DC. Prodr. syst. nat. 3. p. 299.

174. Cucumis citrullus L. Cucurbita L. Del. l. c.

Digitized by Google

ICONUM EXPLICATIO

Tab. I. fig. 1. Asterocephalus arenarius *Vis.*
a flos radii; *b* corolla disci; *c* seta pappi; *d* fructus cum involucello et pappo: omnia vitro aucta.

Tab. I. fig. 2. Convolvulus lasiospermus *Vis.*
Obs. Species herbacea, radice, ut videtur, perenni.

Tab. II. fig. 1. Heliotropium Brocchianum.
a folium; *b*. flos; *c* fructus: omnia vitro aucta.

Tab. II. fig. 2. Lithospermum obtusum *Vis.*
a calyx cum bractea; *b* corolla longitudinaliter secta; *c* semen: omnia vitro aucta.

Tab. III. fig. 1. Trianthema sedifolia *Vis.*
a calyx cum bractea; *b* fructus longitudinaliter sectus cum calyce cui adhaeret; *c* valva superior capsulae; *d* semen: omnia vitro aucta.

Tab. III. fig. 2. Corchorus fruticulosus *Vis.*
a flos cum bracteis; *b* pistillum; *c* fructus; *d* idem apertus; *e* semen: vitro aucta.

Tab. III. fig. 3. Matthiola acaulis *De Cand.*
Icon *a* exhibet specimen floriferum caulescens; *b* florem vitro auctum; *c* specimen acaule fructiferum; *d* siliquam; *e* semen: omnia vitro aucta.

Tab. IV. fig. 1. Volkameria Acerbiana *Vis.*
a calyx cum bractea et pistillo; *b* corolla longitudinaliter secta et stamina fauci inserta; *c* fru-

Digitized by Google

ctus calyce persistente cinctus; *d* idem transverse sectus: omnia vitro aucta.

Tab. IV. fig. 2. Malcolmia aegyptiaca *Spr.*
a siliqua; *b* eadem aperta; *d* flos; *e* folium pube stellata obsitum: omnia vitro aucta.

Tab. V. Lupinus digitatus *Forsk.*
a bractea; *b* flos; *c* calyx cum androphoro et pistillo; *d* vexillum corollae; *e* carina; *f* legumen; *g* idem apertum; *e* semen: omnia magnitudine naturali.

Obs. Nimium affinis *L. piloso*, a quo tamen videtur differre, praeter characteres expositos, stipulis subulatis nec lanceolatis, vexillo emarginato nec integro, leguminum stylo sigmoideo nec simpliciter curvo.

Tab. VI. fig. 1. Anthemis cairica *Vis.*
a squama involucri; *b* receptaculum; *c* achenium; *d* folii dimidium: omnia vitro aucta.

Tab. VI. fig. 2. Apargia annua *Vis.*
a achenium; *b* seta pappi; *c* folii dimidium: omnia vitro aucta.

Tab. VII. fig. 1. Trigonella dura *Vis.*
a flos; *b* umbella fructifera cum pedunculo et pedicellis incrassatis; *c* semen: omnia vitro aucta.

Tab. VII. fig. 2. Croton obliquifolium *Vis.*
a flos masculus; *b* flos foemineus; *c* fructus; *d* loculum; *e* semen: omnia paullo aucta.

Digitized by Google

Tab. VIII. fig. 1. Trigonella arguta *Vis.*
a flos; *b* calyx cum androphoro et pistillo; *c* legumen cum calyce persistente; *d* semen; *e* folium cum stipula: omnia vitro aucta.

Tab. VIII. fig. 2. Crozophora Brocchiana *Vis.*
a flos foemineus perianthio cinctus; *b* fructus vitro auctus; *c* squamula fructus aucta.

Digitized by Google

Digitized by Google



1. *Asterocephalus arenarius* *

2. *Convolvulus lasiospermus* *

Digitized by Google

Digitized by Google

1. Heliotropium Brocchianum *



2. Lithospermum obtusum *

Digitized by Google

Digitized by Google

1. Trianthema sedifolia

2. Corchorus fruticulosus

Digitized by Google

Digitized by Google



1. Trianthema sedifolia



2. Corchorus fruticulosus

Digitized by Google

Digitized by Google

Tab: IV



1. Volkameria Averbiana



2. Malcolmia aegyptiaca Spr.

Digitized by Google

Digitized by Google

Lupinus digitatus Forsk.

Digitized by Google

Digitized by Google



1. Anthemis cairica *

2 Apargia annua *

Digitized by Google

Digitized by Google



1. Trigonella dura *



2. Croton obliquifolium *

Digitized by Google

Digitized by Google



1. Trigonella arquta

2. Crozophora Brocchiana

Martinet inc

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

PATAVII

TYPIS MINERVAE EDIT.

MDCCCXXXVI

Digitized by Google